

Wa
264



F. D.
DISSERTATIO V.
De
NUMMIS
SEREN. SAXONIÆ
DUCUM,
qva
SERMONIS VALEDICTORII
de
ORDINE ELEPHANTINO

recitationem
In Scholâ Altenburgensi
III. Eid. Oct. A.C. cl^o l^o LXXIX.
instituendam

Literarum Fautoribus
denunciat
M. PAULUS MART. SAGITTARIUS,
Rector.

Altenburgi, Literis Richterianis.



L. C.

S.



Grossis ad aliud monetæ Sa-
xonicae genus transeo, quod nostrates
Spitz-Groschlein & *Uchzebener* nomina-
re consueverunt. Prioris appellationis
rationem nondum investigare, nedum
conjectura consequi potui, nisi à figura
acuta, quam nummi isti complicati ostendunt, aut for-
ma quoad Grossos latos minutiore, denominatos malis.
Posterior pretio ortum debet, quod superiori seculo ad
sextam & decimam Imperialis partem excrevit; Primi
enim, quos *Ernestus*, *Wilhelmus* & *Albertus* Cycneæ
in ædibus Rangerianis, hodie Wellerianis, ad forum li-
gnarium sitis, A. 1472. ut *Wilhelmi* in descr. Urbis Cycn.
p. 199. & *Schmidius* in Annal. Cycn. p. 223. statuunt, aut
A. 1476. juxta *Albin*, in Chron. Metall. Tit. V. f. 45. ex ar-
gento Schnebergensi cudi curarunt, *Grossum* valore æ-
quiperabant, qui tamen paulo post adjecto asse major
fieri cœpit. Unde etiam *Sunffzebener* vocabantur.
Quo vero anno augmentum valoris factum, nullibi in-
dica-

dicatum memini. Grosso cum ternario A. 1520. valuisse, fidem facit Catalogus nummorum Simonis Heintzii, Vicarii S. Catharinæ Cycneæ, quem Wilhelmi Urbis Cycneæ descriptioni p. 215. inseruit. Sextam & decimam nummi uncialis partem jam tum A. 1553. constituisse, me docuit edictū *Johannis Friderici*, Nati Electoris, Grimmensteinii die Jovis post Luciae confectum, in quo monetæ laudatæ, valoris jam adducti & ponderis mentio injecta. Centum enim & quinquaginta eorum conficere ibi dicuntur Marcam Erfurtensem, aut 14. Lothones argenti puri, tres drachmas & Assen. Primi, quos 'auspiciis *Ernesti, Wilhelmi & Alberti* A. 1477.78. cufos Misnia vidit, uno in latere exhibent rutam Saxoniam & circa eam: E. W. A. D. G. DVCES SAX. TV. L. MA. MIS. in altero scutum Landesbergense & in margine: GROSSVS. NOVVS. MARCH. MIS. 77. Hic annus alios etiam dedit stellulis & cruce cum ligno transverso à prioribus distinctos. Quos *Mauritius & Augustus* Electores formari voluerunt, eandem quidem figuram, sed non eandem epigraphen habent. In una enim nummi *Mauritiani* facie comparent verba: MAVRICIVS. D. G. D. SAXONI. & in altera: ARCHIMAR: ET: ELECTOR: *Augustus* vero à fronte hanc ostendit inscriptionem: AVGVSTVS. D. G. DVX SAXONI. & à tergo: ARCHIMARSCHAL. ET ELE.

Inde ad *Denarios*, octavam Imperialis partem me confero, nobis *halbe Ortgen*/ quod unus eorum æquali

A 2

cum

cum dimidio didrachmo valore. Primum hujus monetae in domo Saxonica autorem fisco Augustissimum Electorem *Augustum* de re nummaria eaque proba meritissimum, è cujus manu duas accepimus species. Una A. 1557. 58. 61. 65. 66. 70. conflata obvertit effigiem Electoris gladium dextro in humero gerentis, prope eam 1557. & ambitum his verbis conspicuum: AVGVSTVS D. G. DVX (gladii & ruta) SAXONIAE SA. Deinde scutum enses cum ruta conjungens & his cinctum vocibus: ROM. IMP. ARCHIMARSC. ET ELECTOR. Secunda itidem exhibet effigiem Electoris, sed Electorali habitu induti, & verba: AVGVSTVS: D: G: DVX: SAX: RO: IMP: eundem etiam clypeum, ad cujus latus 1567, nec non verba: ARCHIMARSCHAL: ET: ELECTOR: T:

Ejusmodi monetam Augusti nepotes *Christianus II. Johannes Georgius & Augustus* conflare iusserunt, in cujus uno latere scutum Electorale & sequentia inscripta: CHRISTIAN. II. D. G. EL. JOHAN. GE. in altero vero ruta & circa eam: ET AVGVST. FRAT. ET DV. SA. 1611. Plurimos autem Denariorum Saxonico- rum tribuimus *Johanni Georgio I.* singulis fere annis id nummorum genus excudenti. Qui A. 1642. signatus, in parte antica monstrat Electoris ensiferi imaginem & in peripheria pomum imperiale adjectis hisce verbis: JOHAN. GEORG. D. G. DVX. SAX. JVL. CL. ET MO. at in postica Gladios & rutam uno in scuto, & in margine: ROMANI, IMPERI. ARCHIM (A. 1652, IMP. ARCHIMARS.) ET ELE,

ELE. His subjiciendus *Denarius*, à filiis Friderici Wilhelmi fabricatus. Primum latus offert effigiem *Johannis Philippi* cataphracti, circa caput 1625, ad latus galeam & in circumferentia pomum Imperiale ac inscriptionem hujus tenoris; D:G:JO:PHIL:FRID:JO:WIL:ET FRID:WIL:FRAT: alterum vero quatuor Leones & in medio rutam, ad scuti latus WA: in margine: DVC:SAX: JVL:CLIV:ET:MONT:LIN:ALDEN:

Ultimum locum hic occupant *Denarii veteres*, hodie *Schreckenbergeri*, non *duplices*, septem grossis valentes, quales à *Johanne Friderico*, Nato Electore A. 1553, signati, sed *simplices*. Appellantur autem *Schreckenbergeri* à monte *Schreckenberga*, in quo 27. Oct. A. 1492, prima argenti vena à Casparo Dressero detecta primusque cuniculus actus; vel à vico *Schreckenberga*, qui jure civitatis à Georgio Divite donatus nomen à monte laudato desumptum mox cum *Anneberga* commutavit. Vocantur etiam *Angelici*, *Engel-Groschen* & *Molares Mühlsteine*: *Angelici* quidem ab *Angelis* scutum tenentibus: *Molares* verò à *mola* frumentaria, juxta quam percussi feruntur. Falluntur ergo, qui *Thaleros Molarium* nomine indigitari autumant. *Denarii* valorem primo sunt nacti; septem enim in eandem cum aureo *Rhenano* æstimationem veniebant, ut *Fabrit. l. VII. Orig. Sax. t. 831.* refert. Post senario augebantur, quo pretio ad hoc usque temporis gaudent, sive publicis usibus destinentur, sive loculis, ut sint otiosi, immittantur. Primi jussu *Friderici*,

derici; Alberti & Johannis ex argento Annebergensi A.
1497. secundum Paulum Jenifium in Annal. Anneb. p. 1. aut
A. 1499, ex Albinil, c. opinione ducti una in facie offerunt
iconem Angeli parmulam Electoralem tenentis & hæc
in circumferentia verba: FRIDERICVS: ALBER-
TVS: JOHANNES: nec non Lunam corniculatam,
cui stella inclusa. Altera facies comprehendit scutum,
cui Leones, *Misnicus & Thuringicus*, Aquila, (*Palati-*
natus Saxonia insigne) trabes, (*Marchionatus Lan-*
desbergensis signum) & ruta inhærent his circumscriptis
verbis: GROSSVS: NOVVS: DVCVM: SAXONI:
In quibusdam supra scutum apparet annus 99. Probè
autem attendas vclim, *Albertum* secundo poni loco. At-
tenderunt id Consiliarii Vinarienses in libro Germanico
A. 1613. 4t. edito, cujus titulus: *Warhaffter und gegrün-*
deter Bericht/was sich nechst abgewichener Jahr zwischen
den Churfl. Sächf. in Vormundschaft beyderseits verord-
neten Regierungen zu Weimar und Altenburg in dem von
Altenburgischen Herrn Sankler und Kähten erregten
præcedenz und primogenitur Streit verlauffen. Ute-
nim Senioratum & jus præcedentiæ filiis Johannis stabi-
liant, inter alia multa ad nummum quoque allegatum
part. III. p. 55. provocant. *Alberto* in Monasterio prope
Emdam Sabbato post Nativitatis Mariæ A. 1500. huma-
nis rebus exempto *nummi Angelici* filium *Georgium* jam
medio, jam ultimo reposuerunt loco. Qui medium
tribuerunt modo stellula, modo litera T notati, Princi-
pes

pes hoc ordine collocare solent: FRIDERICVS. GE-
ORGIVS. JOHAN. (alii JOHANN. JOHANNE. JO-
HANNES.) Qui vero ultimum, eadem littera insignes,
hac serie locarunt: FRIDERICVS. JOHANNES.
GEORGI. (alii GEORGIV. GEORGIVS.)
Utriusque facies posterior sequentia dabit: GROSSVS.
NOVVS. DVCVM. SAXONIE. Qua verò de causa
Georgius Johanni, utpote Seniori, prælatus? Ex jure Se-
nioratus factum esse, nemo censebit; *Georgius* enim
Johanne quadriennio minor erat. Num forte ad officina-
nas monetarias recurrendum dicendumque, Georgium
Johanni in iis tantum videri prepositum, qui Anneberge,
oppido Georgii, formati? Ingenue fateor, non liquet.
Sed quid statuendum, si quis provinciarum administra-
tionem, quam *Georgius* patre defuncto adierat, nondum
verò *Johannes* ob fratrem *Fridericum* adhuc vivum,
causam hujus rei allegaret? Prudentiorum judicio &
arbitrio id relinquo. Post fata *Friderici Johannes* solus
in Angelicis comparuit, præterito *Georgio*, quod Agna-
torum de re nummaria contentioni in dissertatiuncula
tertia adscribendum esse putavi. Ex una parte invenies,
quæ sequuntur, verba: JOHANNES. ELECTOR.
FIERI. FECIT: in altera: MONETA. NOVA. DVCIS.
SAXONIAE X. Cæterum quoad figuram cum aliis
congruunt, nisi quod Angelus alis paulo latius expansis
& superior scuti pars ornata videatur. Patris vestigia
presso pede secutus est filius *Johannes Fridericus* pristinae
liber-

libertati restitutus. Latus, cui Angelus clypeum Ele-
ctoralem utraqve ala tegens impressus, hujusmodi præ-
se fert epigraphen: MO. NO. JOH. FRID. SE. (SEN.)
DV. SAX. ET. N. (alii NA. NAT.) E. (al. EL.) Ast al-
terum, quo in parmula ducalis, his insignitum verbis
deprehen- di: LANTGRAV. THVRIN. ET MARCH.
(al. MARCHI. MARCHIO.) M. (al. MI. MIS.) E. 29. A-
lium quoad inscriptionem idem signari curavit. A par-
te anteriori leges: JO. FRIDER. SENI. E. NAT. ELE-
CTOR: & à posteriori: LAND. DVVRIN. ET. MARC.
MISNIE. Quod ejus filios *Johannem Fridericum Se-
cundum, Johannem Wilhelmum & Johannem Frideri-
cum Tertium* concernit, ab instituto patrio ne latum
quidem ungvem discesserunt. Eorum enim volunta-
ti acceptum ferimus *Angelicum*, cujus prima facies ima-
gine Angeli scutum rutaceum gerentis & his verbis est
signata: MO: (al. MONETA.) NO: FRATRVM: DV-
CVM, SAXON. (al. SAXONI. SAXONIA.) altera vero
parmula, quæ Misniæ, Thuringiæ, Palatinatus Saxoniae
& Marchionatus Landesbergensis insignia exhibet, &
verbis hujus exempli: LANTGRAVIORVM: THV:
(al. THVR:) ET: MAR: MI: Summa rerum ad *Jo-
hannem Fridericum II.* cum Fratrum consensu delata,
triennii tamen spatio definita, multi cudebantur *angelici*,
jam sine anno, jam eodem addito. Unius lateris mar-
gini hæc mandata sunt verba: Mo: No: D: G:
JOAN: FRID: SECVND: (SECVNDV: A. 1660, & 61.
SE-

SECVNDVS. iisdem annis, SECVND^o, SECVNDI.
A. 62. & 63.) D. (DV. A. 62.) alterius vtro insequentia:
SAX: LANDG: THVR: (THVRI. A. 60.) MARCH:
(MARCHI. A. 61. & 62. MARCHIO. 60. 61. 62. 63.) M:
(al. MI. MIS. MISN.) Antequam hinc abeam, duo ad-
huc monenda esse duco. Unum spectat inscriptionem
lateris primi, quæ in quibusdam ita expressa; MO:
NO: JOAN. FRID. SECVND. D. G. DV.
Alterum annos, in quibus præsens moneta con-
flata; Non enim tres, quot constituti, sed quatuor, quin
& plures, si respicias *Angelicos*, anno omisso, cusos, anni
provenient. Scias autem *Johannem Fridericum* pactis
de trienniali regimine non stetisse, sed illius limites laxius
paulo extendisse & proinde non levem simultatibus fra-
ternis præbuisse occasionem, quæ tamen non ita multo
post sopitæ *Johanne Friderico* II. Gotha Neostadium,
Austriæ oppidum A. 1567. infelici omine deducto. Ab
hoc tempore *Johannes Wilhelmus* majorum in *Angeli-*
cis cudendis consuetudinem sequi cœpit. Quos A. 1568.
feriendos jussit, à fronte his insigniri voluit verbis: D. G.
JOAN. GVILHELM. DVX. SAXONI. (SAXON.
A. 1569. 70. SAXONIAE. 70. SAX. 71.) à tergo vero:
LANT. DVRIN. (eodem anno THVRIN.) ET. MARCHIO.
(MAR. MARC. A. 1569. 71. & MARCH. 70.) *Angelici* ex-
quiales in funere *Johannis* percussi & quos *Duces* Lineæ
Altenburgensis cupreo coque fatali probæ monetæ
tempore formarunt, suæ reservantur sedi.

B

Pauca

Pauca quoque de *Mauritio & Augusto*, quos Agnatorum studium ad simile monetæ conficiendæ genus excitavit. *Mauritianus* ab una parte isthæc conspicienda præbet verba MAVRITI. DEI. GRATIA. DVX. SAX. & ab altera: MONETA. NOVA. DVC. SAX. (al. SAXO.) 1547. Cuius ergo eodem anni tempore, quo Electorali dignitate nondum coruscabat. In *Augusteis* non unus, sed duo conspiciendi Angeli crucibus in capite signati. Qui A. 1559. 62. 63. 64. 65. 70. 71. parati, ex parte priorihæ superbiunt epigraphæ: AVGVSTVS. (AVGVSTVS. (A. 65.) DEI. GRA. DVX. SAXONIAE. à posteriori, & quidem A. 59. ARCHIMARSALCVS (al. ARCHIMARSACVS.) ET. ELECTOR: reliqui vero: ROM. ARCHIMARSAL. ET. ELECTOR. HB.

Diutius his immorari, laudabile laudandi discipuli institutum non permittit; Cum enim Juvenis non ob spem solum, quam de se promittit, eximiam, sed rem quoque cuiusvis boni amore dignissimus JOH. DAVID PÖTSCH/ natus patre Viro plurimum Reverendo, Clarissimo atque Humanissimo DN. M. DAVIDE PÖTSCHIO, Gösnicensis Ecclesiæ Pastore & Ephoriæ Altenburgensis Adjuncto bene merente, Fautore & Amico colendo, Orationem de *ordine Elephantino Regum Danie* privato studio elaboratam mihi exhibuerit, Vobis, rei literariæ Fautores, significandum esse existimavi, quo motore quoque sine impulsus jam nominatam selegerit materiam. Selegit autem præ aliis, quod Serenissimum Patriæ

triæ

triæ Patrem FRIDERICUM à moderno Danorum Re-
ge *Christiano V.* 23 Jan: A. 1678. eidem ordini adscri-
ptum audiverit, in quem *Ludovicus*, Marchio Mantua-
nus à *Christiano I.* Daniæ Rege A. 1474. *Eberhardus*,
Dux Württembergensis A. 1656. *Johannes Georgius III.*
Electoatus Saxonici hæres II. Oct. A. 1663. & *Christianus*
Ernestus, Marchio Brandenburgensis 28. Mart. A. 1668.
a *Friderico III.* fuerunt cooptati. Ser. Aula tota in læ-
titiâ & pia vota ferebatur, cum Principem suum Regio
ordinis Elephantini insigni manu Viri politissimi *Chri-*
stiani Friderici Prueschenckii, præmatura morte nuper
extincti, ornatum videret. Nec Aula solum, sed & Du-
catus, quorum tres divina voluntate obtigerunt, Eccle-
sia etiam, quin & Schola suam communi lætitiæ socia-
bant, ob hoc unum infelices, quod gaudium de novo
optimi Principis honore conceptum non in sinum ipsius,
ut Aula, effundere licuerit, sed angusto admodum spa-
tio, tacito scilicet pectore, continuerit. Diutius autem
non continebunt, & Schola præprimis, quæ de oblata
gaudii declarandi occasione sibi gratulatur, & ex carce-
ribus, quæ hactenus inclusa, velut signo dato læta profu-
lit, ea propter reliquis felicior; Nacta enim est occasio-
nem opportunam tanè, dum Juvenis antea laudatus, qui
contubernio meo per quadriennium usus, Oratiuncu-
lam suam Scholasticos intra parietes recitare secum
constituerit. Eam igitur occupabit Schola nostra à Li-
vio edocta, si in occasionis momento, cujus prætervolat

Opportunitas, cuncteris, ne quicquam mox amissam quæri. Et vos, Musa-
 getæ benevoli, quotquot Historiæ de *Ordine Elephantino* cognoscendæ desi-
 derio tenemini, eandem alacri animo arripite. Si è manu mittetis, pœnite-
 bit: juvabit vero, si complectemini. Differet enim Oraturiens de *Regis or-
 dinis ortu, insignibus, statutis & equitibus*; hisque expeditis Ser. Principi
 Scholæ nomine, cujus agit interpretem, sic curante pietate, ibit gratularum,
 precatus, ut non solum hic honor, sed & alii plures ipsius felicitati in seram
 usque senectutem accedant & immortalis sint ornamento, sicut *Alberto & Ge-
 orgio* aurei velleris ordinem, & *Potentissimo Saxoniz Electori Johanni Geor-
 gio II.* Periscelidis aureæ characterem, quo à *Carolo II.* Magnæ Britanniz
 Rege ante hoc ipsum decennium insignitus, extitisse comperimus. Præter
 hæc gratum suum animum DEO, Principi, Patronis, Patri & Præceptoribus,
 Elephantem & ipsius proprietates offerendo, testabitur, Scholæque huic ulti-
 mum vale dicet; Nam prope diem Illustræ Salanæ petet, Theologiæ stu-
 dio operam daturus: ut ex voto Parentum fiat, prolixiore adfectu, quam
 verbis, voveo, quibus hic supersedere me jubent nonnulli abiturientis com-
 militones, in eo occupati, ut ingentem verborum numeris alligatorum co-
 piam in gremium sodalis conjunctissimi deferant. Deferent autem eas mine
Ebraico Fridericus Schmiedt / Alt. & Gothofredus Be-
 nich / Venedo-Leubanus: *Græco* Joh. Frider. Viehweg/
 Alt. cum Joh. Heineccio, Trebano: *Latino* David
 Meißner / Bornensis nec non Ludolphus Leonhardus
 Zarstädt / Patritius Luneburgensis: *Germanico* Elias
 Kresschmar / Alt. ut & Frid. Leonh. Schneier / Treba-
 nus, & *Italico* Joh. Frid. Freiesleben / Orlamündanus.
 Ex his totius Actus Valedictorii summam vobis satis constare arbitror. Ple-
 niora, si hora II. pomerid. diei crastini accesseritis, ipsi auribus vestris perci-
 pietis. Plurajam non licet. Valete & nostram expectationem, quam materiæ
 dignitas, & personæ, in cuius honorem dicitur, autoritas paravit, vestra
 frequentia vincite. P. P. Altenburgi IV, Eid. Oct.
 A. C. cl3 l3c LXXIX.





acuta, quam
ma quoad G
Posterior pro
sextam & de
enim, quos A
in ædibus Ra
gnarium fitis.
p. 199. & Sch
A. 1476. juxta
gento Schneb
quviparabant,
fieri cœpit.
Quo vero ann



nonetæ Sa-
quod nostrates
ebener nomina-
is appellationis
tigare, nedum
ni, nisi à figura
ndunt, aut for-
minatos malis.
iori seculo ad
crevit; Primi
rtus Cycneæ
, ad forum li-
. Urbis Cycin.
statuunt, aut
V. f. 45. exar-
am valore æ-
o asse major
vocabantur.
n, nullibi in-
dica-

